

A num sperabat? Annón satis est sperare, & spe bona opem Domini implorare? Aut ignorabátne Dominus, quòd in ipsum sperabat, vt necesse fuerit hoc illi significare? Et satis admodum est, sperare in Dominum, si Dominum respicias, & conscientiam illius spes nulla fidelium, quamuis modica & exigua, latere potest. Verùm ad id memorant inter orandum sancti, quòd sperant in Dominum, vt fiduciam impetrandi quòd sperant & petunt in cordibus suis, alant & confirmet. Sic enim de vere bonitatis ingenio præsumitur communiter, quòd qui hac præditus est, haudquaquam possit in se sperantem deserere.

Notam fac mihi viam, qua ambulem.] Obseruemus hinc, quàm de sua ipsius industria nihil præsumpserit Propheta, quamuis illa impigrit sit vsus. Nihil enim omisit, quòd ad hoc facere posset, vt sibi ab insidijs Shaulis caueret, ne in manus illius incideret. Nihilo tamen minus totus à diuinæ bonitatis prouidentia, directione ac protectione pependit, nihil dubitans, inane esse omnem suam industriam & cautionem, nisi spiritu Domini duceretur. Admonemur hac particula, vt quacunq; in causa versemur, nihil nostræ tribuamus sapientiæ, sed ex animo ad Dominum suspiciamus, & dicamus: *Notam fac mihi Domine viam, qua ambulem, duc me spiritu tuo, spiritu consilij, ne quo pacto impingam.*

Quoniam ad te leuo animam meam.] Vide suprâ Psal. 25. versu 1. & Psal. 86. versu 4.

Libera me de inimicis meis Domine.] De hac liberatione ab inimicis, vide suprâ Psal. 18. in obseruationibus tituli, qui Psalmo illi præfixus est.

Doce me facere voluntatem tuam.] Notemus hanc particulam. In tribulationibus non est hæc vox carnis, *Doce me Domine facere voluntatem tuam*: sed, *Obsecro facias Domine voluntatem meam*. Etenim in eo quòd liberari cupit, non Dei, sed suam ipsius voluntatem spectat. Verùm fidei vox est: *Doce me Domine facere voluntatem tuam*: & sicut Christus dixit: Non mea, sed tua voluntas fiat. Hæc Prophætæ precatio diligenter notanda est adflctis. Nusquam enim caro tam importunè suæ ipsius voluntati inhæret, sicut in cruce & adflctionibus. Illic enim potissimùm diuinæ est voluntatis impatiens.

Quoniam tu Deus meus es.] Obserua hanc rationem, *Doce me*, inquit, *facere voluntatem tuam, quoniam tu Deus meus es.*] Primùm sic cõuenit, & necessariò quoque requiritur, vt eius voluntati faciendæ simus addicti ex animo, quem tanquam Deum nostrum agnoscimus, cõfitemur, & in tribulationibus inuocamus. Deinde, sic est illius comparata voluntas, vt ad faciendum illam non minus simus impares, quàm ad cognoscendum, vt necessariò ab illius hoc clementia petamus, vt nos tanquam Deus nolter, voluntatem suam facere doceat.

Spiritus tuus bonus ducat me in terram planam.] Obseruandum hinc est, quomodo suos Dominus de via, qua ambulent, instruat ac doceat. Suprà versu 8. dixit: *Notam fac mihi viam, qua ambulem*: & hoc præsentit: *Doce me facere voluntatem tuam*. Nunc subiicit: *Spiritus tuus bonus ducat me*. Admonemur, doctrinam & instructionem Dei, esse ductum spiritus Dei. Docet eos viam, qua ambulèt, & voluntatem suam quam faciant, quando eos spiritu suo ducit ac dirigit. Deinde & illud obseruandum est, quòd non simpliciter dicit, *Spiritus tuus ducat me*: sed, *Spiritus tuus bonus ducat me*. Est ne spiritus aliquis Domini, qui non sit bonus, vt necesse fuerit Prophætæ pro boni spiritus Domini ductu impetrandi orare? Sciendum est, etiam malum spiritum immitti à Domino, reprobis videlicet, & exitio destinatis. Nota est historia Saulis, i. Sam. 16 vbi legitur, quòd exagitauerit illum spiritus Domini malus: ad quam dubio procul, tanquam sibi notissimam respicit Propheta. Et i. Reg. 22. mittitur à Domino spiritus malus ad decipiendum Achab.

Propter nomen tuum Domine viuifica me.] Cogitemus hinc, quorum sit ad hunc modum orare ac dicere: *Propter nomen tuum Domine viuifica me*. Primùm, eorum esse non potest, qui nullo mortis sensu premuntur. Deinde, nec eorum est, quorum nec vita, nec viuificatio aliquid honoris nomini Dei conciliare potest. Tertiò, neq; illorum esse potest, qui non Dei, sed sui nominis gloriam spectant. Est igitur ista petitio eorum qui Domini sunt: hoc est, ad nomen Dei pertinent, quiq; propter nomen Dei periclitantur, & tales existunt, vt ipsorum viuificatio ad gloriam Dei faciat: & sic animati sunt, vt nihil magis in votis habeant, quàm vt aliqua ratione diuini nominis gloriæ seruire queant. Qui eiusmodi sunt, verè possunt & efficaciter cum Propheta dicere: *Propter nomen tuum Domine viuifica me*.

Pro iustitia tua educ ex angustia animam meam.] Consideremus hinc, ad quem finem desinant tandem piorum hominum adflctiones, tribulationes & angustiae: ad eum videlicet, vt illorum liberatio, educitio & viuificatio, ad nominis ac bonitatis Dei celebritatem faciat. Hac cogitatione imbuti, non solum patienter secundum carnem, sed & magna cum claritate secundum spiritum mortificationem crucis in corporibus nostris feramus: scientes, finem illius ad nominis ac bonitatis Dei illustrationem facturum.

Et propter benignitatem tuam dissipa inimicos meos.] Ergo impij non solum hoc nomine dissipantur ac perduntur, quòd impij sunt ac reprobj: sed & ob id, quòd inimici sunt piorum ac seruatorum Dei. *Quoniam, inquit, seruus tuus ego sum*: hoc est, Non solum iræ ac iudicio Dei sunt obnoxij, tanquam impij: sed & propter benignitatem Dei, qua ad liberandum adflctos propendet, tanquã oppressores piorum sic perduntur, vt ipsorum perditio, adflctorum sit liberatio. Qui ista fideliter cogitat, de exitio impiorum, qui nunctantum non dij quidam esse videntur, haudquaquam dubitare poterit.

PSALMVS CXLIII.
ARGVMENTVM PSALMI.

Mixtus est hic Psalmus. Partim laudat Propheta Dominum, quòd in prateritis sibi bellis astiterit. seq; è manu inimicorum liberauerit, ac populum sibi subiecerit. Partim orat, vt è manu alienorũ eripiatur;

VV

piatur;

Vers. 9.

OBSER.
Vers. 10.

OBSER.
Vers. 11.

OBSER.
Vers. 12.

Perinde atq; A
n gigante ali.
experi gra.
nem experi
Dammertus
iudicium cum
dicere: Quia
uo vllus viuen
cati damnat,
nò distinguit
futuriq; sunt
esset n. 72: id
dòd negat.
x peccati gra.
que damnet.
Neq; enim
duce generi
to. & Omnes
nes peccate.
nec infantis
ture viribus,
tio acquise,
um quicumq;
træ tanquam
ta misericor.
offimus sal.
oman. 3. Sed
racharum.
efumendum
ti que inuila
us gratia ad
contugit. Di.
animam meam,
proborũ ab
adflctũ. Non
rsu 3. & Psal.
quid sit hie
lios multos
sa constitu.
s prosperis
est, vt abij.
idis anima,
umentorum
o, etiam vi
or, instandi
endi, quo
Commanis
rna reueli.
i sensu per
nè mirabi.
in. Domi
num spe